

ne translata etiam post est in Francicam linguam. Et extant leges à Wilhelmo Normanno Rege Anglorum linguâ nostrâ Anglis latæ. Obiit autem is anno 1087. ita ut ante annos DC. ea lingua Rustica Romana, quæ nostræ est, in usum jam fuisse videatur. conf. p. 220. & T. I. Histor. Franc. p. 289. sq. & Notit. Galliæ verb. Francia, p. 203. Ex his apparet & Linguae Teutonicæ majorem splendorem fuisse, & usum quoque in Francia Occidua tum temporis, quàm vulgò putamus. At neque Flandriam recessisse dicunt auctores à regno Caroli Calvi, sed in dignitatem Comitatus fuisse erectam, quum hætenus non à Comite proprio, sed à Forestariis Regis gubernata. Imò verò locus quo hæc victoria obtenta, nondum certus est, de quo mox videbimus.

¶ VII. Planè an dicendum utriusque Ludovici hîc fieri mentionem, primò quidem Ludovici Gallici, & fratris Carolomanni, & quomodo hi Patre suo orbatî, & divisio tandem provinciarum facta, atque à Normannis infestati fuerint. Deinde verò Ludovici Germanici, auxiliatoris & victoris, divinitus excitati; hinc videtur, quod Poëta noster priorem constituit in Franken, sede suâ, Franciâ Occiduâ: posteriorem verò ait profectum esse in Franciam contra Normannos v. II. & 55. At is Ludovicus, qui in Francia sedem suam habet, non est idem, qui in Franciâ ut auxiliator tum venit. Verùm enim verò nec hoc persuadet: Francia enim duplici ratione dicitur, primò Francia propria, h. e. antiqua sedes Francorum Rhenum transeuntium, quod Wendelinus solidè evicit, de natali solo Legis Salicæ. Huic deinde tota Gallia fuit adjecta, atque sic Francia in Occidentalem

4.

R. sp.